

in qua non sede sedet? Corpus ergo est, cui dicit: ‚sede a dextris meis.‘ Τὸ σῶμα τοίνυν ἔστιν, ᾧ λέγει, κάθου ἐκ δεξιῶν μου.<sup>24</sup>

Gregor Nyssenus orat. 3 De resur. domini: ‚Quae naturaliter habebat tanquam Deus, ea dicitur accipere ut homo certo consilio factus. Quamobrem etiam dicebat: ‚Pater glorifica me apud temet-[A 5r:]ipsum gloria, quam habebam‘, etc. Nisi enim hanc propriam haberet ut Deus, fieri non posset, ut eam tanquam alienam acciperet, Deo et Patre per prophetam dicente: ‚Gloriam meam alteri non dabo.‘<sup>25</sup>

Haec de sententia uerborum Petri breuissime in gloriam et maiestatem Filij Dei et hominis, creatoris et fratris nostri sufficiant, donec forte coacti pluribus cum pluribus et amicis et inimicis mihi autem amicis omnibus et singulis, qui Christi τοῦ θεανθρώπου Emanuelis maiestatem et diuinam siue infinitam potentiam non duplicem, sed unam, quae est (ut semel dicam) diuina et aeterna, quaerunt agendum sit.

Vigilij, qui martyr nominatur, uerba hac de re, quae pro explicatione loci Acto. 3 adducuntur sine exceptione non admittimus, in hunc modum se habentia: ‚Si uerbi et carnis una natura est, quomodo cum uerbum ubique sit, non ubique inueniatur et caro? Nanque quando in terra fuit, non utique erat in coelo: Et nunc quia in coelo est, non est utique in terra, et in tantum non est, ut secundum ipsam Christum speremus uenturum de coelo, quem secundum uerbum nobiscum credimus esse in terra.‘<sup>26</sup>

Obstat nobis, cum quod multa partim plane obelisco, partim limnisco<sup>27</sup> digna idem Vigilij habeat, ut, quod Christus non sit mediator et aduocatus noster secundum deitatem, sed tantum secundum nostram naturam, interpellet pro nobis Patrem, et appellationes [A 5v:] Iesu et Christi non ad Deum, sed ad hominem pertineant, cui delirio ipse quoque Theodoretus contradicit,<sup>28</sup> tum quod Christum secundum naturam humanam assumtam et glorificatam certo loco coeli alliget et formam serui a nobis ablatam, ut ipse loquitur, quae tamen nunquam ut seruilis forma in coelum translata est, a nobis plane absentem esse, ideoque, quod inde uesani homines colligunt, σωματικῇ παρουσίᾳ Christum in coena sua nec omnipotentiae, nec ueritatis suae ratione esse uel posse uel uelle fingat. Nam quod ait, Christi carnem loco contineri, in doctrinae cum potentiae et maiestatis Filij hominis, tum coenae dominicae, uerum esse nec potest nec debet. Etsi enim corpus suam περιγραπτὸν retinere dicatur et proprietates suas essentielles: tamen exceptio semper in ijs

<sup>24</sup> Theodoret, Eranistes, Florilegium II, in: PG 83, 180 (Ettlinger 160,8–13). Zitat aus Athanasius, Sermo maior de fide XXIX, in: PG 26,1283. Vgl. Ps 110,1; Jer 23,24.

<sup>25</sup> Gregor von Nyssa, Oratio II De resurrectione Domini, in: PG 46, 649. Vgl. Joh 17,5; Jes 42,8.

<sup>26</sup> Vigilij war Ende des 5. Jahrhunderts Bischof der nordafrikanischen Stadt Thapsus und verfasste Schriften u.a. gegen die Arianer und Eutychnianer. Selnecker verwechselt ihn hier mit dem Märtyrer Vigilij von Trient; Vigilij Thapsensis, Contra Eutychem IV, 14, in: PL 62, 126.

<sup>27</sup> Das heißt teils fragwürdig, nämlich mit einem Obelisk am Rand zu versehen, teils auszeichnungswürdig, nämlich mit einem Band als Ehrenzeichen zu versehen.

<sup>28</sup> Vgl. Theodoret, Eranistes II, in: PG 83,148 (Ettlinger 139).